

**<Lib. 2, Q. 2, A 3: Utrum mensuris temporalibus naturae
intellectualis permanentis... mensuretur>**

1. Tertius articulus erat iste: utrum mensuris temporalibus naturae intellectualis permanentis ... mensuretur. Pro declaratione istius sic procedam: primo formabo quandam positionem iuxta
5 imaginationem domini Bonaventurae praedictum articulum declarantem; secundo positio impugnabitur per rationes aliquas quibus respondebitur ut clarius appareat doctrina veterum magistrorum; et tertio eligetur positio dictis modernorum conformior et proximior
10 rationi.

<Sex conclusiones ad mentem Bonaventurae. Conclusio 1>

2. Pro primi igitur declaratione sex pono conclusiones iuxta mentem praefati doctoris quarum prima sit ista: spiritibus angelicis correspondet mensurae propriae a mensuris rerum corruptibilium
15 realiter differentes. Ista conclusio sic probatur: quaelibet mensura attenditur penes modum permanentiae sui mensurati; sed rerum corruptibilium sunt modi permanentiae realiter differentes a modis rerum incorruptibilium; ergo et ipsarum mensurae sunt realiter
20 differentes. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam aliter mensuratur liquidum, aliter solidum, aliter permanens, aliter successivum, et sic de aliis. Et ita videtur universaliter quod mensura sequitur modum existentiae sui mensurati. Et minor | apparet, quoniam
25 incorruptibilia habent perpetualiter et immutabiliter existere; corruptibilia vero mutabiliter et non semper existere, et hoc ex propria forma; ergo sequitur quod ipsarum sunt diversi modi, quare et in se, quod est propositum.

C 195ra

3. Praeterea, maior similitudo est quarumcumque duarum quiditatum ad invicem, quam sit rerum spiritualium et corruptibilium simul; sed signis duabus quantitibus, utputa linea et corpore, illae
30 non possunt mensurari per aliquam quantitatem continuam; ergo a fortiori nec rerum spiritualium et corporalium est una mensura. Consequentia patet et maior. Sed minor apparet, quoniam linea et corpus non habent communem mensuram ipsam superficiem nec
35 similiter linea, cum quaelibet illarum infinities a corpore continuatur; nec similiter habent corpus, quia tunc ita linea mensuraretur per corpus sicut ipsum corpus, quod videtur falsum, quia sicut ista non

223,6 domini Bonaventurae] Cf. BONAV., *In II Sent.*, d. 2, p. 1, a. 1, qq. 1-3 (ed. Quaracchi 1885, II, p. 55a-70 b): Q. 1: Utrum spiritualia habeant propriam mensuram; Q. 2: Utrum omnium aeviternorum sit unum aevum; Q. 3: Utrum spiritualia habeant permanentem vel successivam mensuram.

habent unam mensuram eis communem, ita etiam nec spiritualia et corruptibilia habebunt.

4. Unde advertendum est pro mente sua bene dicenda quod communiter inter antiquos doctores fuerunt positae tres mensurae, videlicet aeternitas, aevum et tempus, iuxta triplicem existendi in rebus. Unus enim modus essendi est immutabiliter secundum actum et potentiam. Alius modus totaliter isti oppositus est mutabiliter secundum actum et potentiam. Tertius vero mediat inter istos, videlicet immutabiliter secundum actum, sed mutabiliter secundum potentiam. Primus vocatur aeternitas, secundus tempus et tertius aevum sive aeviternitas. Sicut igitur aliud est immutabiliter existere secundum actum, sed mutabiliter secundum potentiam a mutabiliter existere secundum actum et potentiam, ita aliud est aevum a tempore. Quoniam igitur angeli et spirituales substantiae existunt, quantum est ex conditione naturali, immutabiles et incorruptibiles, et aliae res corruptibiles existunt mutabiliter, ideo alia est mensura spiritualium naturarum a mensuris corruptibilium rerum, et haec est sua intentio.

<Conclusio 2>

5. Secunda conclusio est haec: nulla mensura realiter una mensurat formaliter omnium aeviternorum proprias quiditates. Ista conclusio de duabus primis mensuris, videlicet aeternitate et tempore, apparet per ea quae dicta sunt, quia aeternitas non mensurat formaliter spiritus angelicos, nec similiter tempus. Sed probatur quod nec aliquod unum aevum sic probatur, quoniam unitas accidentis provenit ab unitate subiecti, ut patet etiam in tempore cuius unitas videtur provenire ab aliqua unitate subiecti, sive illud sit caelum sive aliquid aliud; sed nullum est unum subiectum penes quod omnia spiritualia mensurentur; ergo nec est aliquod unum aevum mensurans omnia aeviterna. Consequentia patet. Probatur ista minor, quoniam subiectum a quo sumitur mensura respectu aliquorum habet influentiam | respectu ipsorum, ut patet de caelo a quo, secundum aliquos, sumitur mensura temporalium et corruptibilium, quod etiam habet influentiam respectu ipsorum corruptibilium. Sed tale respectu substantiarum separatarum inveniri non potest nisi Deus, qui non est subiectum a quo immediate sumitur ratio aevi; igitur nullum est tale subiectum a quo sumatur ratio aevi; quare propositum.

6. Praeterea, unus angelus non dependet ab alio in esse et in conservari, et per consequens stat unum angelum existere destructis omnibus aliis ab ipso; sed posito aliquo ponitur eius motus intrinsecus, et per consequens posito angelo, ponitur aevum, et per consequens

223,65 Consequentia] probatur *add. sed del. C*

quot sunt angeli, tot sunt aeva. Non ergo aliquid unum aevum mensurans formaliter omnia aeviterna.

7. Declaratur per aliud ratio, nam constat quod non omnia
80 aeviterna sunt spiritualia et incorporalia; sed quaedam spiritualia et
quaedam corporalia, ut patet quoad primum membrum de naturis
intellectualibus limitatis. Similiter quoad secundum apparet de caelo
empyreo et aliis corporibus caelestibus, et ita per consequens nec
ipsorum est unum aevum.

85 8. Unde ad habendum imaginationem suam advertendum est
quod aliqui volentes investigare unitatem aevi processerunt per
investigationem unitatis temporis, et quia tempus intelligitur per
modum accidentis, ideo potest tripliciter comparari ad suum
subiectum: vel in ratione inhaerentis, vel in ratione apparentis, vel in
90 ratione causaliter dependentis.

9. Et ideo quidam dixerunt unitatem temporis sumi ab unitate
primi mobilis cui inhaeret, et ideo destructo caelo, destruitur tempus
iuxta dictum communiter philosophorum. – Alii dixerunt quod ratio
apparentiae videtur concurrere ad unitatem temporis per hoc quod
95 intellectus aspiciens motum primi mobilis, ex sua consideratione figit
in ipso unitatem temporis. – Alii vero dixerunt unitatem temporis
provenire a principio a quo causatur, quod quia ista videtur esse prima
materia qua in omnibus corruptibilibus reperitur eiusdem rationis, ideo
dixerunt similiter tempus esse unum. Et iuxta istam considerationem
100 aliqui fuerunt imaginati in aevo unitatem. – Unde aliqui putaverunt
quod suprema intelligentia est primum et immediatum subiectum
ipsius aevi penes quam attenditur mensura omnium aeviternorum.

10. Sed istud non videtur apud istum doctorem verum, tum quia
si illa intelligentia destrueretur, non minus esse aevi, tum omnes beati
105 angeli habent mensurari penes aliquid sumptum ex parte Luciferi qui
fuit supremus angelus quod non videtur verum, tum quia possibile est
plures tales intelligentias existere sub eodem gradu | perfectionis. –
Alii vero assignaverunt unitatem ex parte subiecti in quo angelus
primo apparet. Et ideo dixerunt quod caelum empyreum est primi aevi
110 subiectum a quo sumitur unitas eius. Sed istud non videtur verum,
quia tunc mobilius secundum naturam mensuretur per minus
perfectum. – Alii vero assignaverunt unitatem aevi sumi ab unitate
subiecti a quo causatur quod videtur esse spiritualium materia quae,
quia est in omnibus eiusdem rationis, ideo dixerunt unitatem aevi sumi
115 a materia angelorum spirituali. Sed hoc non potest esse, quia ratio
dicit materiae mutabilitatem, et aevum dicit stabilitatem.

C 195va

11. Et ideo, licet secundum istum doctorem materia sit in angelis, non tamen ab ea sumitur ratio aevi, sed potius a sua forma. Ideo sicut ratio temporis sumitur, secundum aliquos et etiam secundum istum doctorem, a ratione materiae, ita ratio aevi a ratione formae. Quia igitur ex parte formae provenit aevum in angelis, cuius ratio infert distinctionem a quacumque alia forma, ideo iuxta formarum multitudinem est aevorum multitudo, propterea quot sunt aeviterna, tot sunt aeva. Et haec est radix et imaginatio suae conclusionis.

<Conclusio 3>

12. Tertia conclusio est haec: mensurae spiritibus angelicis correspondentes non existunt permanentes formaliter, sed sunt potius successivae. Ista conclusio sic probatur: Deus potest annihilare unum angelum, aut ergo in illo instanti in quo est, et hoc intelligendo in sensu composito, videlicet quod haec est possibilis Deus annihilat angelum in instanti in quo est, et hoc non est possibile, quia tunc contradictoria essent simul vera. Si ergo detur aliud instans, sequitur quod cum angelus non mensuratur tempore quod sua mensura est formaliter successiva. Ut sic possit ratio confirmari: ante creationem temporis, Deus potuit creare unum angelum et similiter annihilare; faciat ergo illud; vel ergo in eodem instanti fuit creatus et annihilatus, et hoc non. Si ergo in diversis, cum pro tunc non fit tempus, sequitur quod mensura correspondens angelo est formaliter successiva et per hoc apparet, secundum istum doctorem, quod impossibile esset Deum annihilare aliquid cui corresponderet aeternitas.

13. Praeterea, si mensura angelica nullam successionem includeret, sed totum suum esse simul haberet, sequitur quod in angelo nulla esset differentia inter suum praesens existere et praeteritum fuisse vel futurum esse, et per consequens esse praesens in angelo est formaliter suum fuisse, et per consequens quam impossibile est angelum fuisse et potuisse non fuisse, tam impossibile ipsum esse et posse non esse. Et ita Deus non posset facere angelum non esse, quod est absurdum in theologia.

14. Et confirmatur, nam quia esse hominem et esse animal rationale sunt formaliter et convertibiliter idem, si impossibile esset hominem non esse, impossibile esset animal rationale non esse, ergo conformiter si inter esse angeli et suum fuisse nulla est differentia | sed omnimoda identitas et simultas, sicut est impossibile angelum non fuisse posito quod fuerit, ita impossibile erit ipsum non esse, quod

127 mensurae] scrip. pos. correspondentes sed corr. signis transp. C

falsum est, et per consequens necesse est sua existentia intelligere mensuram formaliter successivam.

160 **15.** Unde ad habendum suam imaginationem circa conclusionem praefatam est advertendum quod successio potest dupliciter considerari: uno modo cum variatione secundum innovationem et inveterationem habendo ordinem prius et posterius. Sicut, verbi gratia, in exemplo familiari, aliter est successio in fluvio egrediente a fonte, aliter est successio in radio procedente a sole. In prima successione est continua aquarum variatio, sed in radio non, sed sola continuatio et
165 hoc supposito quod sol sit fixus in aliquo ubi, quia forsitan radorum destructio per accidens provenit per hoc, videlicet quod sol movetur.

16. Ad propositum igitur successio temporanea est successio cum variatione, nam signato aliquo temporali, si per duos annos debet durare, si transierit annus quasi de suo esse medietas est diminuta, et
170 ideo huiusmodi cum variatione intelligitur. Successio vero aeviterna est successio sine huiusmodi variatione, et ideo est media mensura inter aeternitatem et tempus. Unde communicat in hoc cum aeternitate quod est mensura invariabilis, sed differt ab ea quia in ea est prius et posterius; similiter convenit cum tempore cum hoc quod includit prius
175 et posterius, sed differt per hoc quod excludit variationem secundum innovationem et inveterationem. Et per hoc apparet quod successio est quid abstractum a ratione aevi et temporis. Et per hoc apparet quod ista consequentia apud ipsum nulla est de forma: ‘aliquod successivum est, ergo aliquod temporale est’, sed est fallacia
180 consequentis, sicut ultra arguendo a superiori ad inferius affirmative nihil valet consequentia.

<Conclusio 4>

17. Quarta conclusio est haec: aeviterna successio successionem temporaneam acceptam stricte et proprie duratione et dignitate realiter
185 antecedit. Ista conclusio sic probatur: quidquid est prius aliquo priore signato est prius suo posteriore; sed motus prius est ipso tempore, cum ipsum tempus sit mensura motus secundum prius et posterius, et per consequens praesupponit motum, et aevum est prius ipso motu; ergo aevum prius est ipso tempore. Consequentia et maior patent. Sed
190 minor pro secunda parte probatur, quoniam a priori et posteriori in magnitudine accipitur prioritas et posterioritas in motu, et a priori et posteriori in motu sumitur prioritas et posterioritas in tempore, et per

186 suo] priore *add. sed del. C*

consequens per prius est ipsa magnitudo quam sit motus vel tempus. Cum igitur magnitudo huiusmodi sit substantia primi mobilis et tempora est aeviterna, sequitur | quod quam primo substantia primi mobilis est, tam primo aevum est, et per consequens sicut magnitudo primi mobilis est prior motu, ita etiam ipsum aevum est prius motu et consimiliter tempus, quod est propositum. 195

18. Praeterea, omne fluxivum naturaliter reducitur ad aliquod permanens; sed motus et mutatio sunt quaedam fluxiva; ergo naturaliter reducuntur ad aliquod permanens. Consequentia patet et minor similiter. Maior autem ex hoc patet: aliter esset processus in infinitum nisi fluxivum haberet aliquod sui fluxus conservativum, quia si illud esset fluxivum, eadem ratio est de illo sicut de primo. Et tunc ultra: omnis motus praesupponit aliquod permanens sicut subiectum et conservativum; sed qualitercumque se habent aliqua mensurata ad invicem, taliter se habent ipsorum mensurae; ergo cum mensura motus sit tempus, et mensura permanentis in quo fundatur primus motus sit aevum, sequitur quod sicut motus praesupponit permanens, ita tempus praesupponit aevum, et ita apparet quod per prius est aeviterna mensura quam sit mensura temporanea; quod est propositum. 200 205 210

19. Unde pro imaginatione sua habenda advertendum est pro eo quod in conclusione ponitur de tempore proprie et stricte accepto, et etiam ad intelligentiam auctoritatis communis venerabilis Bedae quae dicit quod quatuor fuerunt simul creata, videlicet caelum, natura angelica, prima materia et tempus, quod tempus quatuor modis potest intelligi in Scriptura, videlicet communissime, communiter, proprie et magis proprie. Communissime dicitur mensura cuiuslibet durationis creaturae; communiter dicitur mensura cuiuslibet mutationis sive sit subita sive successiva; tertio modo et proprie dicitur tempus mensura cuiuslibet variationis successivae; sed stricte et magis proprie dicitur tempus mensura cuiuslibet variationis successivae continuae et regulatae per regulam motus primi mobilis. 215 220

20. Ad propositum igitur applicando inter aevum et tempus primis duobus modis sumptum non est ordinis secundum prius et posterius, quia tempus, prout dicit durationem creatam vel mutationem subitam vel successivam, est superius ad aevum, et sic sumitur a venerabili Beda. Et de hoc conclusio non facit mentionem, sic enim aevum esset tempus. Sed sumendo tempus duobus ultimis modis, sic 225

214 venerabilis Bedae] BEDAE VENER., *Expos. in Genesim*, I, c. 2 (CCL 118A, ???; PL ???): Ceterum difficile intellectu est quomodo in uno die fecerit Deus caelum et terram et omne virgultum agri omnemque herbam regionis, nisi forte dixerimus quod in materia informi pariter omnis creatura sit facta, iuxta hoc quod scriptum est, qui vivit in aeternum creavit omnia simul.

230 inter tempus et aevum est ordo secundum prius et posterius, sicut est
 ordo inter magnitudinem et suum motum. Unde apparet quod aevum
 est mensura permanentis primo et immediate; sed tempus est mensura
 successivi primo. Unde licet sit mensura corruptibilis, hoc tamen est
 per hoc quod tale subiacet motui. Et sic apparet quod mensura primi
 235 mobilis est aevum, sed mensura sui motus est tempus. Et ideo sicut
 primum mobile prius est suo motu, ita aevum prius est tempore, et hoc
 loquendo de tempore prout dicit mensuram variationis successivae;
 quare propositum.

<Conclusio 5>

240 **21.** Quinta conclusio est haec: inter mensuram | temporaneam C 196rb
 strictissime sumptam et aeviternam mensuram est media mensura
 possibiliter collocanda. Ista conclusio sic probatur: nullius rei
 corruptibilis est aeviterna mensura; sed ante tempus strictissime
 sumptum fuit res corruptibilis; ergo ante tempus strictissime sumptum
 245 erat alia mensura a tempore iam accepto. Consequentia et maior
 apparet. Et minor apparet, quoniam ante quartam diem erant arbusta
 et herbae et per consequens res corruptibiles; sed pro tunc non erat
 motus primi mobilis quoniam in factione lunarium dixit Scriptura
 quod erunt *in signa et tempora et dies et annos*, et per consequens
 250 apparet quod quarta die incepit tempus strictissime sumptum, prout
 videlicet dicit mensuram variationis successivae per regulam motus
 primi mobilis regulatae; quare propositum.

22. Praeterea, post diem iudicii non erit tempus isto modo
 acceptum, quia tunc cessabit corporum caelestium lationes et tamen
 255 ibi erit successio et variatio in tormentis, quae non est aevum, ut
 apparet ex iam dictis. Igitur propter aevum et tempus isto modo
 acceptum est alia mensura imaginabilis intermedia collocanda; quod
 est propositum.

23. Pro cuius conclusionis intellectu clariori sciendum est quod
 260 sumendo tempus duobus ultimis modis superius recitatis, sic hoc est
 eis commune, videlicet variatio successiva, et secundum istam
 rationem inter aevum et tempus non est alia mensura locabilis. Sed
 coarctando rationem temporis iuxta quartam significationem
 superaddit regulationem per motum primi mobilis, sic absque dubio
 265 collocabilis est intermedia mensura inter tempus sic acceptum et
 aevum, quae mensura ab antiquis temporibus fuit vocata saeculum. Et
 ideo quidam dixerunt quod post diem iudicii non erit tempus sed
 saeculum, habentes considerationem de tempore prout cadit sub regula
 primi mobilis.

249 in...annos] Gen. 1, 14.

24. Sciendum tamen est quod in acceptione istorum 270
vocalorum est magna aequivocatio. Unde apud chronicistas dicitur
spatium centum annorum, sed aevum mille. Et ideo apud istos decem
nominibus partes temporis fuerunt nominatae, videlicet hora,
quadrans, dies, septimana, mensis, annus, lustrum, indictio, saeculum
et aevum, quibus pro termino istas assignaverunt. De quinque 275
nominibus satis est nota ipsorum significatio ex communi usu
loquentium. Sed de aliis quinque sic intelligunt ut quadrans sit
spatium sex horum, indictio 15 annorum; lustrum quinque annorum,
saeculum centum et aevum mille annorum. Et sic videtis quod in
acceptationibus talium terminorum multae latent aequivocationes quae 280
frequenter legentium animos non parum perturbant. Sic igitur apparet
qualiter est conclusio intelligenda.

<Conclusio 6>

25. Sexta conclusio et finalis est ista: quaelibet operatio 285
angelica, sive sit immanens | sive transiens, non aevo sed tempore
mensuratur. C 196va Ista conclusio sic probatur: quaelibet entitas instabilis
mensuratur tempore; sed omnis angelica operatio est huiusmodi; ergo
propositum. Consequentia et maior patent. Sed minor probatur: nulla
operatio angeli est nisi per speciem perfectam in intellectu suo
concurrente imperio voluntatis suae; sed quaelibet talis operatio, 290
tamdiu durat quamdiu voluntas vult; sed voluntas angeli, cum sit
libera, potest operationem huiusmodi dimittere; ergo et talis operatio
potest desinere esse, et ita instabilis est et per consequens mensuratur
tempore ex quo tempus est mensura habentium successionem cum
variatione secundum innovationem et inveterationem; quare 295
propositum.

26. Praeterea, omnis contrarietas subiacet tempori; sed in
operationibus angelorum est contrarietas; ergo tales operationes
subiacent tempori. Consequentia patet et minor. Sed minor probatur
tam in affectionibus quam in cognitionibus. Constat quod angelus non 300
novit omnia quae Deus, et per consequens potest cognoscere multa
quae non cognoscit; ergo in sua cognitione erit intensio, et per
consequens a minus cognoscente transit in magis cognoscens, et ita
subiacet contrarietati in augmento suarum operationum. Similiter in
affectionibus hoc idem apparet quod non semper habent eandem 305
volitionem respectu eiusdem obiecti exterioris, ut apparet de his

288 nulla] *mg.* C 289 angeli] non *add. sed del.* C 300 in¹] *apparet add. sed del.* C

quorum custodiam detinent respectu quorum habent diversas affectiones secundum quod vident ipsos in bono proficere; quare propositum.

310 **27.** Unde pro clariori conclusionis intellectu est sciendum iuxta istius doctoris imaginationem quod in universitate entium sunt tria genera rerum, supremum videlicet infimum et medium. Ens autem medium continet sub se tria: animam intellectivam, angelum et corpus caeleste. Ens autem supremum, quod est Deus, mensuratur aeternitate.
 315 Infimum vero quod est natura elementorum mensuratur tempore. Sed alia tria media, quantum ad ipsorum esse substantiale, mensuratur aevo, et quantum ad operari mensuratur tempore; sed differenter tamen, nam tempus, ut dictum est, sumitur pro variatione successiva et quandoque cum hoc quod superaddit regulationem secundum motum
 320 primi mobilis, accipiendo tempus ultimo modo. Sic operationes angelorum non mensurantur tempore, et hoc loquendo de operationibus immanentibus, quia tales operationes proprie non subsunt motui primi mobilis. Sed operationes animae intellectivae quae exercentur per corpus subiacent tempori, sed per accidens in
 325 quantum huiusmodi operationes habent connexionem cum corpore dependente secundum influentiam primi mobilis. Et ita accidit in operationibus angelicis quae fiunt per corpora tamquam per instrumenta. Tamen operationes angelorum et similiter | animae
 330 sed ipsorum substantiae mensurantur aevo.

28. Ex quibus apparet quod isti termini aeternitas, aevum et tempus possent iuxta suam imaginationem taliter describi: aeternitas est permanentia impartibilis invariabiliter supersimplex; aevum est sine variatione successio intensiva; tempus est cum variatione tam
 335 intensiva quam extensiva successio secundum motum primi mobilis regulata, et hoc de tempore stricte sumpto. Et haec est sua intentio quantum mihi apparet.

<Argumenta contra conclusiones ad mentem Bonaventurae>

29. Contra praemissas conclusiones arguo per ordinem. Et primo
 340 contra primam quae ponit aevum distinctam mensuram ab aeternitate et tempore arguo sic: si aevum est mensura ab istis duabus mensuris distincta, aut ergo est substantia, aut accidens. Non substantia, quia tunc corporea vel incorporea. Constat quod non corporea nec incorporea, quia tunc vel esset Deus vel angelus vel anima intellectiva
 345 quorum nullum potest dari. Nec accidens, quia vel divisibile vel indivisibile. Non indivisibile, quia sic non esset successivum quod est

340 contra primam] Cf. supra n. 2-4.

contra istam opinionem. Si ergo divisibile et per modum mensurae, oportet quod sit quantitas continua vel discreta. Non continua, quia nec superficies, linea vel corpus. Nec tempus, secundum istam conclusionem, nec etiam numerus, nec oratio. Ergo cum sit mensura, 350 vel defectio nihil est nisi fictitii ab intellectu. Vel si est aliquid, oportet quod sit tempus, et per consequens spiritus angelici non habent mensuram realiter differentem a tempore, cum ipsorum mensura non sit aeternitas; quare propositum.

30. Praeterea, omnes creaturae beatae mesurantur eadem 355 mensura, et per consequens angeli et homines mesurantur eadem mensura. Consequentia patet. Et antecedens apparet, quia omnes creaturae beatae immutabiliter existunt secundum actum, quamvis mutabiliter secundum potentiam, et per consequens eadem mesurantur mensura. Et tunc ultra: sed omnes homines mesurantur 360 eadem mensura pro quocumque statu; ergo cum pro statu viae sit mensura hominum ipsum tempus, sequitur quod et pro statu patriae, et per consequens angeli mesurantur tempore. Quare non videtur quod eis correspondeat distincta mensura a tempore.

31. Ista patent, sed probo quod omnes homines semper eadem 365 mensuram habeant, quia propria passio non est separabilis a suo subiecto. Sed eo ipso quod homo ponitur in esse, consequitur in esse positio temporis tamquam propria passio rei corruptibilis; ergo propositum. Probatur minor, nam sequitur 'corruptibile est, ergo tempus est'. Ergo quidquid antecedit ad antecedens, antecedit ad 370 consequens. Sed sequitur 'homo est, ergo aliquod corruptibile est', cum ex sua definitione sit animal | rationale et mortale, et per consequens ex positione hominis, sequitur tempus esse; quare propositum.

32. Praeterea, quaecumque subsunt motui locali, ipsa sunt in 375 tempore; sed angeli subsunt motui locali, non solum secundum operationem, sed secundum ipsorum substantiam; ergo angeli subsunt tempori et per consequens non habent distinctam mensuram a tempore; vel ponere duas est superfluum. Consequentia patet, et maior ex hoc, quia tempus est passio motus communiter sumpti, et per 380 consequens de quocumque verificatur motus, et tempus; et ita cum motus localis sit motus, sequitur quod si aliquid subiacet motui locali quod etiam illud idem subiaceret tempori. Et minor apparet, quia per praecedentem articulum angelus movetur localiter et acquirit ubi in quo prius non fuit, et hoc secundum suam substantiam; aliter sua 385 substantia non moveretur, quod falsum est; quare propositum.

<Responso ad rationes contra conclusiones Bonaventurae>

33. Ad istas rationes respondeo. Ad primam cum quaeritur
 generaliter: quid est illa mensura a tempore et aeternitate distincta qua
 390 mensuratur substantia angeli, vel est substantia, vel accidens? dico,
 quantum mihi apparet sequendo superficiem litterae praefati doctoris,
 quod est accidens successivum. Et tunc cum dicitur quod tunc ex quo
 est mensura est quantitas, vel ergo tempus, locus, superficies etc., dico
 breviter quod nullum istorum est. Sed nec divisio illa Aristotelis est
 395 sufficiens, nisi prout coartatur ad corporalia et corruptibilia. Unde
 sicut secundum communem opinionem, tempus ponitur accidens
 successivum mensurans corruptibilia, ita per omnia conformiter
 diceretur de aevo in respectu sui mensura. Et si quaeratur in quo
 subiecto est, diceretur leviter quod in aeviterno, sicut nunc dicimus de
 400 tempore quod est subiective in motu immediate sed fundamentaliter in
 primo mobili; et sic solvitur argumentum.

34. Ad secundum cum dicitur quod homines beati et angeli
 mensurantur eadem mensura; sed homines pro quocumque statu sunt
 mensurabiles tempore eo quod essentialiter corruptibiles, ergo
 405 propositum, hic dico iuxta opinantem quod variatio modi existendi in
 aliqua re variat eius mensuram. Nunc autem quia rerum, ut dictum est,
 quaedam habent modum existendi immutabiliter tam secundum actum
 quam secundum potentiam, quaedam mutabiliter tam secundum actum
 quam secundum potentiam, quaedam medio modo, videlicet
 410 immutabiliter secundum actum sed mutabiliter secundum potentiam,
 ideo cum creaturae beatae ex Dei omnipotentia omnes capiunt
 immutabiliter secundum actum, et per consequens homines mutant
 modum existendi, ideo etiam in statu patriae mutant mensuram, et
 ideo mensura hominum beatorum non est tempus, sed aevum.

35. Et cum dicitur quod non pro eo quod corruptibile semper
 415 habet pro mensura tempus, sed homo pro quocumque statu est
 corruptibilis, ergo propositum, hic dico quod corruptibile potest
 dupliciter intelligi: uno modo quod in rei tali sit activum principium
 quod potest reducere corruptionem ad actum; alio modo quod per
 420 potentiam alicuius agentis infiniti hoc possit fieri. Primo modo |
 corruptibile semper habet annexam mensuram temporaneam. Sed talis
 corruptibilitas non est in hominibus beatis, et ideo non oportet quod
 sint in tempore. Sed sumendo corruptibile secundo modo, non oportet
 quod sequitur 'est corruptibile, ergo est in tempore'. Sic enim omnia
 425 creata corruptibilia sunt.

36. Et si DICATUR quod secundum hoc staret: omnia creata
 permanentia quae nunc existunt esset in rerum natura quamvis nullum

388 Ad primam] Cf. supra n. 29. 402 Ad secundum] Cf. supra n. 30. 415 cum dicitur]
 Cf. supra n. 31.

tempus esset, hic dico quod consequenter credo quod iste doctor
 haberet istam conclusionem concedere, quoniam ex quo homo qui est
 corruptibilis a principio intrinseco, potest absolvi a ratione temporis, 430
 non videtur quare Deus non posset facere de quocumque permanente
 per ablationem talis corruptibilitatis, tum etiam quia aevum non
 praesupponit necessario tempus sed potius e converso, et ideo nulla
 videtur contradictio conformiter ad opinionem quae Deus non posset
 absolvere quodlibet permanens a temporibus successivis. 435

37. Ad tertium cum dicitur quod angelus subiacet motui locali,
 ergo et tempori, et antecedens apparet per praecedentia, hic dico quod
 motus localis provenit in angelo ab aliqua potentia motiva mediante
 qua transfert suam substantiam de loco ad locum. Et ideo licet talis
 operatio qua se transfert mensuretur tempore, non tamen sequitur quod 440
 sua substantia tempore mensuretur. Sicut etiam apparet secundum
 physicam considerationem corpus caeleste, sive per principium
 intrinsecum sive per extrinsecum non curo ad praesens, transfertur de
 loco ad locum saltem secundum partes, et illa latio tantum(?)
 mensuratur tempore, sed tamen sua substantia aeternitate licet habeat 445
 coexistentiam cum tempore, ut dicit Philosophus, IV *Physicorum* cap.
 7, ubi sententialiter dicit quod aliqua sunt in tempore et habent
 coexistentiam cum tempore, ut generabilia et corruptibilia; aliqua non
 sunt in tempore sed habent coexistentiam cum tempore ut corpora
 caelestia, quare similiter in proposito. 450

<Argumenta contra conclusionem secundam Bonaventurae>

38. Contra secundam conclusionem quae ponit sententialiter
 quod non omnium aeviternorum est unum aevum; sed unicuique
 aeviterno correspondet proprium aevum, arguo primo sic: si sunt plura
 aeva, aut ergo sunt simul, aut non. Secundum non potest dari, quia sic 455
 duo angeli non essent simul, quod falsum est. Si ergo plura aeva sunt
 simul, vel ergo in instanti unius illorum aevorum sunt simul, vel in
 aliquo alio. Primum non potest dari secundum istam opinionem, quia
 tunc unus angelus mensuraretur aevo alterius, et per consequens illud
 esset eis aevum commune, et ita aliud aevum superflueret. Si ergo 460
 detur quod sunt simul in aliquo nunc alicuius aevi quod non est
 aliquod illorum, sequitur quod illud aevum est eis commune, et ita
 superfluunt alia. Et per consequens, cum non videatur qualiter possit
 salvari similtas in aevis, oportet ponere unum aevum respectu
 omnium aeviternorum, quod est propositum. 465

436 Ad tertium] Cf. supra n. 32. 446 dicit Philosophus] Cf. ARIST., *Physica*, IV, c. 12
 (AL VII-1, 183; Δ, c. 12; 221b 28-32). 452 secundam conclusionem] Cf. supra n. 5-11.

39. Praeterea, in unoquoque genere est dare unum quod est metrum et mensura omnium aliorum in illo genere, sic in genere animalium homo, in genere colorum albedo, et sic de aliis quibuscumque; sed genus intellectualis substantiae limitatae est aliquod genus; ergo ibi oportet assignare aliquam speciem supremam penes quam mensurentur omnia alia in illo genere et a quo, per consequens, sumatur aliorum mensura, sicut et in motibus datur motus primi mobilis qui est regula omnium aliorum motuum a quo etiam sumitur ratio temporis. Et per consequens aliqua erit suprema intelligentia quae est primum et immediatum subiectum aevi, et ita non oportet plura aeva ponere, cum frustra ponatur pluralitas ubi sufficit paucitas, quae in proposito satis est notum; quare propositum.

40. Praeterea, si magis variabilia habent unam mensuram, a fortiori et ea quae vel non sunt variabilia, vel saltem sunt minus variabilia; sed corruptibilia sunt magis variabilia quam spiritualia; ergo si corruptibilium est una mensura, videlicet ipsum tempus, a fortiori et spiritualium erit una mensura, videlicet ipsum aevum, et ita pluralitas superflua est in aevis. Consequentia et minor patent. Sed probo minorem, quoniam unitas uniuscuiusque rei potius sumitur a mobilibus et sic de similibus. Cum igitur variatio se habeat per modum fluxivum, sequitur quod quanto aliquod est magis variabile, tanto magis recedit ab unitate sive simplici sive communi. Si igitur fluxiva habent communem unitatem in mensura, a fortiori hoc competit permansivis.

490 <Responsio ad argumenta contra argumenta contra secundam conclusionem Bonaventurae>

41. Ad istas respondeo. Ad primam quae tangit difficultatem qualiter potest verificari ista propositio ‘plura aeva sunt simul’, ex quo ponitur aliquod aevum omnibus aeviternis commune, pro quo est advertendum quod similtas aliquorum potest dupliciter intelligi: aut per mensurae concomitantiam, aut per mensurae unitatem et indifferentiam. Verbi gratia, Deus, secundum omnes, non mensuratur tempore sed aeternitate; est tamen simul cum homine, non quidem per mensurae unitatem et indifferentiam, quia nec aeternitas est communis

497 gratia] quia nec aeternitas est communis Deo et creaturae *add. sed del. signis va-cat C*

466 unoquoque...467 genere¹] ARIST., *Metaph.*, X, c. 1 (AL XXV-3, 196-197); I, c. 1; 1052b 18-19 & 1052b 31-32); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 135: In unoquoque genere est dare aliquod primum et minimum quod fit metrum et mensura omnium illorum quae sunt in illo genere. 476 frustra...477 paucitas] Resp. ARIST., *Physica*, I, c. 4 (AL VII-1, 22; A, c. 4; 188a 17-18); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 141: Peccatum est fieri per plura quod potest fieri per pauciora. 492 Ad primam] Cf. supra n. 38.

Deo et creaturae, nec tempus similiter est eisdem commune, cum nec 500
 Deus sit temporaneus nec creatura aeterna. Dicitur tamen Deus simul
 cum creatura, quia est praesens creaturae, et hoc per suarum
 mensurarum concomitantiam. Ad propositum etiam duo aeva non
 habent simultatem per mensurae unitatem et indifferentiam, quia nulla
 est eis commune; sed habent simultatem per hoc quod illae mensurae 505
 concomitantur se invicem, et ita non oportet assignare aliquod nunc in
 uno aevo in quo talia aeva sunt simul, nec etiam in aliquo aevo
 communi. Et per hoc apparet quod istae propositiones sunt valde
 variae significationis ratione huius dictionis ‘simul’: | ‘Deus et angelus
 et homo sunt simul’, ‘Sortes et Plato sunt simul’, quoniam in prima 510
 iste terminus ‘simul’ denotat mensurae concomitantiam, in secunda
 denotat mensurae unitatem et indifferentiam; et ideo argumentum
 peccabat per fallaciam aequivocationis.

C 197vb

42. Ad secundum cum dicitur: quare ponuntur tot aeva ex quo
 potest salvari quicquid ponitur per unum per hoc supremus angelus 515
 poterit esse metrum et mensura omnium aliorum angelorum sicut
 apparet in aliis generibus, hic dicitur, licet superius fuerint assignatae
 aliquae rationes in declaratione secundae conclusionis secundum viam
 istius doctoris, tamen ad praesens dico quod ratio potissima posset
 esse ista, quod quia aevum est mensura consequens formam angeli, 520
 idcirco esse sive specifico sive individuali proveniat distinctio, hinc
 est quod provenit diversitas aevorum sicut positae aqua et terra
 diversae gravitates consequuntur formas ipsorum, et ideo non potest
 poni eis una communis gravitas, ita in proposito.

43. Et si DICATUR contra hoc quia effectus egrediens ab aliqua 525
 causa, sive per modum formalis influxus, sive per modum efficientis,
 non potest esse mensura sui principii, sicut tempus non est mensura
 primi mobilis sed omnium aliorum, cum iuxta Philosophum primum
 mobile sit aeternum; ergo similiter oportet dare aliquam intelligentiam
 a qua sive per modum influxus formalis sive per modum efficientis, 530
 perveniat mensura aliarum intelligentiarum, hic DICO quod ista ratio
 praesupponit unum falsum, videlicet quod mensura concomitans
 formam rei non mensuret illud de quo primo et immediate dicitur.
 Constat enim quod aeternitas dicitur mensura Dei, et tamen
 consequitur formam deitatis, cum sit ipsius modus intrinsecus. 535

514 Ad secundum] Cf. supra n. 39. **518** secundae conclusionis] Cf. supra n. 5-11. **528**
 iuxta Philosophum] ARIST., *Physica*, VIII, c. 6 (AL VII-1, 308; Θ, c. 6; 259a 14-15):
 Manifestum autem ex his est quod necesse est esse aliquod unum et perpetuum primum
 movens; *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 158: Primus motor tantum est unus et aeternus
 sive perpetuus.

44. Similiter data illa intelligentia, iuxta quod argumentum imaginatur, oporteret ipsam ponere aeternam, quia ex quo aevum per modum formae sequitur talem intelligentiam et non mensurat ipsam, sed alias citra ipsam, si mensuratur aevo, oportet dare aliam
 540 intelligentiam, et sic quaeram de illa, et sic vel erit processus in infinitum in talibus intelligentiis, vel danda est una aeterna. Et tunc vel est Deus, vel plura aeterna, quorum quodlibet falsum est; ergo oportet stare in hoc quod cuilibet angelo correspondet proprium aevum. Nec similitudo adducta est ad propositum, quia aliter se habet tempus ad
 545 primum mobile, aliter aevum ad aeviternum, nam aevum immediate consequitur formam substantialem angeli; sed tempus non consequitur immediate formam substantialem primi mobilis, sed motum primi mobilis. Et ideo apparet quod similitudo multum claudicat.

45. Ad tertium cum dicitur quod si magis variabilia habent unam
 550 mensuram, a fortiori et minus variabilia, hic dico quod si ratio variationis esset causa | habendi unitatem mensurae quod hoc forsitan verum esset quod a fortiori hoc esset censendum in minus variabilibus, sed in proposito non est ita. Unde unitas mensurae corruptibilium vel sumitur ab ipso motu primi mobilis, qui motus capit
 555 unitatem a primo mobili, vel a prima materia quae in omnibus ponitur eiusdem rationis. Nunc autem in proposito non est ita, quia ibi, videlicet in tempore, assignatur ratio unde potest sumi unitas ipsius respectu corruptibilium, sed respectu aeviternorum non, cum hoc non sit penes aliquam intelligentiam nec penes materiam.

C 198ra

560 <Argumenta contra tertiam conclusionem Bonaventurae>

46. Contra tertiam conclusionem quae ponit sententialiter quod aevum est mensura formaliter successive sine variatione, arguo primo sic: ubicumque est prius et posterius, ibi oportet assignare partem post partem, quia prius et posterius respectu eiusdem excludunt
 565 simultatem. Si ergo in aevo est successio, sequitur quod ibi est prius et posterius, et per consequens ibi oportet quod pars succedat parti et per consequens ibi est continuus accessus et recessus partium. Sed ubicumque est talis continuus accessus et recessus, ibi de necessitate est innovatio cum de novo fit aliquid quod prius non fuit. Et ita
 570 apparet quod contradictionem implicat quod sit successio sine variatione et innovatione; quare propositum.

47. Praeterea, signo primum nunc in quo angelus fuit creatus et quaero: aut manet angelus semper in illo instanti, aut est continue in alio et in alio? Si semper maneat, cum illud sit mensura angelica,
 575 sequitur quod angelus habet mensuram indivisibilem et non

549 Ad tertium] Cf. supra n. 40. 561 tertiam conclusionem] Cf. supra n. 12-16.

successivam, quod est contra fundamentum conclusionis. Si autem non manet, quaero: a quo corrumpitur? Aut a se ipso, et hoc non, quia nihil se ipsum corrumpit. Aut a suo contrario, et hoc non cum tale nunc nullum habeat contrarium ut apparet. Aut propter absentiam sui subiecti, et hoc non cum ille angelus continue maneat. Aut a Deo, et hoc non quia hoc videtur totaliter impertinens dicere quod Deus corrumpit continue talia instantia aeviterna. 580

48. Ut sic possit ratio confirmari: impossibile est aliquod accidens esse variabile cuius subiectum est invariabile, cum accidentis variabilitas provenit ex parte subiecti si ab intrinseco provenit. Si ab extrinseco, hoc est per contrarium; sed constat quod angelus est subiectum invariabile, et nunc aevi nullum habet contrarium, ergo sequitur quod impossibile est aevum habere variationem successivam seu qualemcumque successionem; quod est propositum. 585

49. Praeterea, aut nunc aevi est idem realiter cum existentia actuali ipsius angeli, aut est aliud. Si est idem, sequitur quod sicut existentia angeli manet continue, ita et illud nunc aevi, et per consequens ibi nulla est successio. Si vero tale nunc aevi non sit idem realiter cum existentia angeli, tunc sicut existentia angeli potest infinities poni in esse, ita similiter | tale nunc absolutum potest infinities poni in esse et ita potest conservari nunc illud aevi sicut extrema ipsius angeli et per consequens si illud continue conservatur sine quacumque successiva mensura, ita potest dici de existentia angeli. Frustra igitur ponitur aliquod aevum successivum, ut existentia angeli mensuretur, ex quo sine tali possumus intelligere angelum conservari continue, et ita habetur propositum. 590
C 198rb 595 600

**<Responsio ad argumenta contra conclusionem tertiam
Bonaventurae>**

50. Ad istas rationes respondeo. Ad primam cum dicitur quod non potest intelligi successio sine variatione pro eo quod ibi est prius et posteris, et per consequens continuus accessus et recessus partium et per consequens innovatio et variatio, hic dico pro materia argumenti et declaratione conclusionis quod innovatio potest intelligi vel in mensura, vel in mensurato, vel in utroque simul. Verbi gratia, de ultimo membro: tempus mensurat certam rem corruptibilem, utputa hominem vel equum, ex cuius transitu facta est innovatio seu variatio tam in homine quam in tempore, quoniam in homine est maior 605 610

604 Ad primam] Cf. supra n. 46.

inveteratio quam ante, et in tempore est aliud et aliud instans. Nunc
autem in aevo, licet sit imaginanda successio, tamen ex ipsius transitu,
615 nulla est innovatio sive inveteratio in esse substantiali angeli, sed
praecise in ipsa duratione. Quando ergo dicitur quod aevum est
mensura successive sine variatione, verum est eius quod mensuratur.
Sed non intelligitur quin, ex quo aevum est mensura successiva, sit ex
parte durationis aliud et aliud nunc aevi.

620 **51.** Et per hoc apparet ad rationes. Sicut, verbi gratia, corpus
Christi est in sacramento altaris non habens ordinem partium in loco,
est tamen ibi definitive, imaginemur locum continue moveri, sicut et
Deus potest hoc facere de sua potentia absoluta, quo facto locus
continue mutatur, et tamen locatum nullo modo. Ita possumus
625 imaginari ex parte durationis quod in ipsa raptim transeat et aliud et
aliud nunc sine quacumque variatione mensurati per ipsum; quare
propositum.

52. Ad secundum cum quaeritur: vel illud instans aevi in quo
primo creatus est angelus manet semper cum angelo, vel non, dico
630 quod non. Et cum quaeritur: a quo corrumpitur? Hic posset dupliciter
responderi. Primo quod unaquaeque res habet suam periodum, et ita
instans aevi habet suam periodum quam non potest transgredi. Et ideo
habet ultimum sui esse, ita quod simul et semel incipit esse et desinit
esse, sicut et communis via dicit de instanti temporis quod iam est et
635 immediate post hoc non erit. Et similiter iam est et immediate ante hoc
non fuit, et per consequens incipit esse et similiter desinit esse.

53. Aliter posset dici quod instans corrumpitur per hoc quod
suum subiectum se subtrahit ab isto nunc, sicut dicimus de primo
mobili respectu mutati esse, licet differenter sic quia ibi est variatio
640 localis partium caeli, hic autem | nulla ex parte angeli cum ipse
continuatur et fit quodammodo translatio sui ab isto nunc ad aliud sine
sui variatione. Et per hoc apparet quid est dicendum ad illud
argumentum.

C 198va

54. Ad tertium cum dicitur vel illud instans aevi est ab angeli
645 actuali existentia distinctum, vel non, dico quod sic. Et cum dicitur
quod non, quia nunc aequae posset conservari illud nunc sicut
existentia angeli et tamen non haberet mensuram successivam, ergo
nec modo angelus, hic dico, prout credo quod diceret iste doctor, quod
illud instans non posset continue conservari, et ratio est quia de sua
650 ratione formali cadit in successivo sicut terminus eius. Et est ex sua
ratione formali terminus talis successivi, et quia quam primo ponitur

637 instans] *mg.* C 648 prout] non habet *add. sed del.* C

628 Ad secundum] Cf. supra n. 47. 644 Ad tertium] Cf. supra n. 49.

angelus, tam primo ponitur tale successivum per modum necessariae
 sequelae. Ideo non staret angelum esse et tale successivum non esse,
 et similiter non stat tale successivum esse et aliquid ipsius termini
 durare successive. Et ideo repugnantia videtur esse ex parte rei quod 655
 tale nunc continue conservetur. Sicut habent dicere communiter
 tenentes tempus esse tale accidens successivum quod nullum ipsius
 instans potest durare per tempus, quia tunc staret contradictoria esse
 simul... in eodem instanti. Nam signo instans praesens in quo verum
 est dicere quod Sortes est. Si ergo Deus posset conntinuare tale instans 660
 per tempus, continuet post mortem Sortis, tunc in eodem instanti ista
 fuit vera Sortes est et Sortes non est. Et ideo in rei veritate condicio
 instantis in successivo, oportet quod imagnetur raptim transiens cui
 repugnat periodus successiva.

<**Dubium contra ultimam conclusionem Bonaventurae**> 665

55. Contra ultimam conclusionem est unum dubium. Illa videtur
 dicere quod omnis operatio angelica mensuratur tempore; hoc non
 videtur verum, cum ipsius beatitudo sit operatio quae tamen tempore
 non mensuratur. Hic dico quod sive beatitudo angelorum et aliorum
 beatorum sit ab ipsis elicitive, sive se habeant respectu illius 670
 tantummodo passive, tenendum est quod mensuratur aevo,
 consequenter ad dicta istius doctoris, quia ut volunt sancti, non erunt
 in patria volubiles cogitationes nostrae, quod maxime intelligendum
 est de cogitationibus quae sunt speculos beatificae circa obiectum
 beatificum. 675

56. Et si DICATUR quomodo ergo quaelibet operatio angeli
 tempore mensuratur, hic DICO quod in quantum erat ex parte angeli
 tempore sua operatio mensuratur. Sed Deus ex sua omnipotentia
 absolvit operationem huiusmodi a condicionibus variabilitatis, et ideo
 aliunde habet quod mensuretur aevo. Apud tamen tenentem beatum se 680
 habere pure passive respectu suae formalis beatitudinis, argumentum
 habet modicam difficultatem, quia tunc non est operatio eius. Et sic
 apparet quod sine contradictione cum probabilitatis apparentia potest
 antiquorum scrupulosa opinio sustineri.

<**De radicibus et significatis temporis et aevi. Conclusio 1**> 685

C 198vb **57.** Postremo declaranda est praemissi articuli | difficultas iuxta
 quod videtur magis consonum veritati. Pro quo exsequendo
 necessarium est investigare radicem temporis et suum reale

666 Contra ultimam] Cf. supra n. 25-26. **672** volunt sancti] Cf. AUGUST., *De Trin.*, XV,
 c. 16 (CCL 50A, ???; PL 42, ???): Fortassis etiam non erunt volubiles nostrae
 cogitationes ab aliis in alia euntes atque redeuntes, sed omnem scientiam nostram uno
 simul conspectu videbimus.

significatum, et similiter radicem aevi et suum significatum. Pro
 690 quorum declaratione sex pono conclusiones. Quarum prima sit ista:
 nulla successivae mutationis species est radix primaria a qua temporis
 condicio est accepta. Vel sub ista forma: nulla successivae mutationis
 species est temporis primum et immediatum subiectum. Ista conclusio
 sic probatur, et primo de motu locali: stat tempus esse, nullo motu
 695 locali existente; ergo motus localis non est primum et immediatum
 subiectum temporis. Consequentia patet, quoniam quia homo est
 primum et immediatum subiectum risibilitatis, ideo non stat
 risibilitatem existere nullo homine existente. Et per consequens ubi
 oppositum reperitur, illa non se habent modo iam expresso. Sed
 700 antecedens probatur, quoniam stante motu alterationis sine motu
 locali, salvatur tota ratio temporis; ergo propositum. Probatur
 assumptum, nam posito motu alterationis, ibi adhuc remanet prius et
 posterius perceptibile ab intellectu; ergo ibi est numerus secundum
 prius et posterius; quare propositum. Similiter non existente motu
 705 alterationis, salvatur ratio temporis per consimilem rationem, quia per
 rationem motus localis. Et consimiliter arguitur de motu
 augmentationis, et per consequens illud quod primo et per se tempus
 respicit non est aliqua mutationis species per se sumpta. Et patet
 theologice, quia post iudicium erit tempus et tamen motus corporum
 710 caelestium non erit, per hoc quod in aliquo loco erit alteratio continua
 secundum calidum et frigidum, utpote in inferno; quare propositum.

58. Praeterea, quandocumque aliquod commune indifferenter et
 communiter respicit plura, illud de nullo illorum primo et immediate
 praedicatur; sed tempus indifferenter et communiter respicit quamlibet
 715 speciem motus; ergo tempus de nulla specie motus primo et
 immediate dicitur, et per consequens nulla talis est temporis primum
 et immediatum subiectum. Consequentia patet. Et maior exemplifice
 declaratur, nam quia animal indifferenter respicit hominem et asinum
 et equum, ideo non plus unum illorum subiectorum est primum et
 720 immediatum respectu animalis quam aliud. Et ita apparet de specie
 respectu suorum individuorum; quare maior videtur vera. Et minor
 apparet, quia aequae salvatur ratio temporis in una specie motus sicut in
 alia, ut prius dictum est. Et per consequens ratio temporis indifferenter
 et communiter respicit quamlibet speciem motus; et ita habetur
 725 propositum.

<Conclusio 2>

59. Secunda conclusio est haec: radix primaria a qua temporis
 condicio sumitur est successivae mutationis consideratio generalis.

727 haec] primum et immediatum subiectum *add. sed del signis va-cat C*

C 199ra Vel sub ista forma: primum et immediatum subiectum a quo temporis iudicium sumitur est successivae mutationis acceptio | transcender. 730
 Volo dicere quod nulla ratio per se, utputa hic motus vel ille, est primum subiectum et immediatum a quo sumitur iudicium temporis, sed motus sumptus communiter et transcender. Ista conclusio sic probatur: tempus secundum Philosophum, IV *Physicorum*, est numerus motus secundum prius et posterius. Quaero tunc: qualiter in 735
 definitione temporis sumitur motus? Aut pro motu primi mobilis, et hoc non, ut prius deductum est; aut per motum alterationis, et hoc non; aut augmentationis et diminutionis, et hoc non, ut prius deductum est. Ergo oportet quod ibi li motus sumatur communiter prout est superius ad omnem motum; et per consequens conclusio vera. Aliter propositio 740
 Philosophi non haberet veritatem.

60. Nec valet si DICATUR quod ad mentem Philosophi propositio illa vera est, quia ibi sumitur pro motu primi mobilis. CONTRA: quamvis apud eum impossibile sit motum primi mobilis non esse, tamen ex hoc non sequitur quin si ita esset quod motus primi mobilis non esset quod adhuc non minus tempus esset. Sicut et Aristoteles frequenter ad investigandum quiditatem alicuius rei utitur suppositionibus huiusmodi impossibilibus. Et per consequens cum imaginabile sit motum alterationis existere sine motu locali, imaginabile est tempus esse sine motu primo mobilis. Nec obviat 750
 dictum Commentatoris dicentis quod cessante motum primi mobilis ignis non combureret lignum, quia per hoc Commentator non haberet quod motus primi mobilis esset primum et immediatum subiectum temporis. Sed ibi arguit, ut sibi videtur, a propositione impossibili inferendo illam quae in rei veritate est impertinens formaliter ad primam, ut apparet cuilibet terminos consideranti; quare propositum. 755

61. Praeterea, si motus primi mobilis esset primum et immediatum subiectum temporis, sequitur quod ista est formalis consequentia ‘tempus est, ergo motus primi mobilis est’; et per consequens quidquid formaliter antecedit ad antecedens, antecedit ad consequens; sed sequitur formaliter ‘motus alterationis est, ergo tempus est’. Et per consequens est etiam formalis consequentia ‘motus alterationis est, ergo motus localis est’, quod tamen falsum est, quia 760

755 formaliter] scrip. pos primam sed corr. signis transp. C 761 alterationis] temporis add. sed del. C

734 secundum Philosophum] ARIST., *Physica*, IV, c. 11 (AL VII-1, 175; Δ, c. 11; 219b 1-2); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 151: Tempus est numerus motus secundum prius et posterius.

765 nulla videtur contradictio motum alterationis esse, non existente motu locali, cum illi motus sint ab invicem disparati.

770 **62.** Confirmatur, nam contradictionem implicat aliquid existere sine eo quod est de sua ratione formali; sed nulla est contradictio ‘tempus esse et nullum motum localem esse’; ergo motus localis sive motus primi mobilis non cadit in definitione temporis; et per consequens ibi motus sumitur communiter prout est superius ad omnem motum. Probatur minor, quoniam si istae duae propositiones essent formaliter repugnantes | ‘tempus est,’ ‘nullus motus localis est’, tunc ab una illarum ad oppositam alterius esse consequentia formalis. Et ita vel ista esset consequentia formalis ‘nullus motus localis est, ergo nullum tempus est’; vel ista ‘tempus est, ergo motus localis est’, quarum neutra valet propter causam saepius assignatam de aliis motibus in quibus salvatur ratio temporis; quare propositum.

C 199rb

<Conclusio 3>

780 **63.** Tertia conclusio: realitas significative correspondens tempori est quiditas actualiter successivae mutationi subiecta. Ista conclusio sic probatur: illud est reale significatum alicuius, si quid sit, in quod primo et immediate intellectus per illud inducitur in notitiam eius. Verbi gratia, sive in signis naturaliter significantibus, sive in signis ad placitum institutis, audito alicuius gemitu, iudicamus in ipso dolorem, et ideo dicimus quod reale significatum gemitus est ipse dolor. Similiter prolata hac voce ‘homo’, apud latinos occurrit intellectui aliqua creatura rationalis corporea; quare propositio assumpta videtur vera. Nunc autem illud quod primo occurrit intellectui per expressionem temporis continens aliquid realitatis est aliquid successivae mutationi subiectum; ergo propositum. Probo minorem, nam prius et posterius in motu non potest intelligi per se nisi propter realem existentiam alicuius rei circa quam est consideratio prioritatis et posterioritatis, et per consequens si qua realitas correspondet tempori ex parte rei est quiditas mutationi successivae subiecta; quare 795 propositum.

800 **64.** Ex qua conclusione infertur correlarie quod quaelibet natura certis circumscripta limitibus potest mensuris temporalibus mensurari. Haec conclusio sic probatur: quaelibet natura mutabilitati subiecta potest mensuris temporalibus mensurari; sed quaelibet natura certis circumscripta limitibus est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia patet. Et minor ex hoc quoniam quaelibet creatura ex se tendit in non esse, et per consequens intrinsece est mutabilitati subiecta. Sed maior probatur, quoniam quodcumque subest motui, potest subesse tempori;

798 Haec...799 mensurari] *in imo fol. C*

ergo propositum. Probo assumptum, quia quaero quid addit tempus
 ultra motum? Vel possibilitatem ad non esse, vel animam 805
 numerantem, vel ista simul cum motu. Si detur omnia simul, adhuc de
 qualibet natura mutabilitati subiecta possunt omnia ista verificari,
 vicelicet quod possit non esse, quod moveatur, et quod anima
 mensuret illum motum. Et per consequens non videtur ratio quare
 tempus non possit dici mensura cuiuislibet naturae dependentis. 810

65. Si DICATUR quod requiritur quod sit essentialiter variabile ita
 quod continue illud suscipiat inveterationem, CONTRA: stat Deum
 producere iam unum hominem ita intrinsece invariabilem sicut nunc
 est Christus secundum humanitatem et ipsum tantummodo conservare 815
 per annum et tunc ipsum destruere, quo facto non est maior ratio quare
 | Sortes vel Plato dicuntur esse in tempore quam ille homo, et per
 consequens ratio subiciens aliquem tempori est ipsa mutabilitas.

C 199va

66. Praeterea, nulla creatura potest a Deo produci quin ipsa
 possit non esse, et per consequens nulla est creatura in qua non sit
 potentia passiva ad non esse, licet non sit potentia passiva ad non esse, 820
 licet non sit ad actum reducibilis per quodcumque creatum, et per
 consequens non videtur quod in creatura sit invariabilitas nisi
 tantummodo per respectum ad agens limitatum, et ita apparet quod
 quaelibet natura certis circumscripta limitibus potest tempore
 mensurari. 825

67. Praeterea, quaelibet creatura potest per Deum annihilari,
 excepto primo mobili quod continue moveatur, et una anima
 considerante motum illum. Ponatur ergo in esse, reproducat Deus
 postmodum post multas revolutiones omnia alia quae fuerunt
 annihilata, tunc sine dubio anima quae prius mansit, potest esse 830
 istorum mensura per motum primi mobilis, et per consequens illa
 omnia erunt tempori subiecta, et ita potest facere de illo primo mobili
 et anima illa ipsa videlicet annihilatio, et postmodum remanentes
 animae possunt ipsorum existentias mensurare iuxta motum alterius
 mobilis, utputa caelum, Saturni vel solis. Et sic apparet quod non 835
 videtur aliqua ratio quare creatura non possit subici tempori.

68. Et si DICATUR quod requiritur ad hoc quod aliquid sit in
 tempore quod illud incipiat esse et postmodum desinat esse, ADHUC
 istud est possibile de qualibet creatura quod potest incipere et desinere
 esse, quia Deus nullam necessario conservat ad extra sed mere libere 840
 et contingenter; et per consequens propositum.

<Conclusio 4>

835 sic] videtur *add. sed del(?)*. C

845 **69.** Quarta conclusio est haec: nullius rei passiva conservatio
sine sui variatione intrinseca est radix primaria a qua aevi condicio est
accepta. Ista conclusio apparet per similem rationem sicut de tempore
superius fuit facta, nam illud quod indifferenter et communiter respicit
plura, non habet aliquod illorum propria et immediata radice, sed
forsan aliquid eis commune; sed aevum indifferenter respicit omnia
aeviterna; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor
850 est manifesta, quoniam aevum non plus sumitur a consideratione unius
rei intellectualis quam alterius, quia tunc si per imaginationem unus
angelus destrueretur, nullum esset amplius aevum, quod non videtur
verum; quare propositum.

<Conclusio 5>

855 **70.** Quinta conclusio: passiva rei conservatio sine sui variatione
intrinseca sumpta communiter, est aevi primum et immediatum
subiectum. Ista conclusio sic probatur: ex quacumque existentia
intellectualis naturae dependentis infertur saltem ut nunc aevum esse.
Si ergo aevum respiceret aliquam intellectualem naturam singularem
860 tamquam primum subiectum, ab existentia aevi ad existentiam illius
naturae esset illatio bona. Et per consequens ab existentia unius
intellectualis naturae ad existentiam alterius intellectualis naturae
esset consequentia bona, quod falsum est, cum ibi non videatur
habitus mutua vel quaevis habitudo nata causare illationem unius ab
865 alio vel a contra; quare propositum.

C 199vb

<Conclusio 6>

71. Sexta conclusio et finalis quoad hoc est ista: realitas
significative correspondens aevo est quiditas sine sui variatione
intrinseca conservata. Ista conclusio apparet per quid nominis aevi,
870 quae est successio sine variatione, quod nihil aliud videtur quam rei
continuatio et conservatio. Et per consequens realitas sive
significatum aevi, non videtur nisi quiditas ab aliquo conservata sine
sui variatione intrinseca. Ex qua conclusione sequitur manifeste quod
quaelibet res certa potest mensuri mensura quae dicitur aeviterna.
875 Patet, ex quo quaelibet res creata a Deo potest conservari sine
quacumque eiusdem rei variatione intrinseca; quare propositum.

72. Ex quibus apparet breviter quod tempus et aevum sunt duo
termini connotativi significantes rem creatam secundum diversam
connotationem. Unde tempus significat aliquid connotando illud fore
880 mutationi et variationi subiectum. Aevum vero significat rem aliquam
connotando ipsam conservari sine quacumque intrinseca variatione
suae quiditatis. Et per hoc apparet quod non est imaginandum aevum
vel tempus fore successivas mensuras per modum accidentis
inhaerentes rebus temporalibus vel aeviternis. Unde sequitur ulterius

quod licet sit impossibile tempus esse aevum, tamen tempus potest esse aevum et e contra. Sicut impossibile est album esse nigrum, tamen album potest esse nigrum, et hoc propter connotationes terminorum, nam res quae est mutationi subiecta potest non esse mutationi subiecta, ut patet de angelis et hominibus beatis. 885

73. Unde ulterius pro concordia opinionis antiquorum et modernorum, cum dicunt tempus esse accidens successivum vel aevum, nil aliud intelligunt nisi quod tempus et aevum sunt praedicata quae per accidens praedicantur de suis subiectis, connotando in eis aliquam successionem, et per hoc non oportet ponere tales mensuras a rebus permanentibus distinctas. 890 895

74. Ad propositum igitur cum per articulum quaeritur si angelus mensuratur tempore, si per illam propositionem intelligatur quod sit aliquid significatum per tempus, apparet quod non, pro eo quod non est intrinsecae variationi subiectus, licet possit esse, et per consequens tempore mensurari isto modo loquendo. Et sic apparet qualiter est ad istum articulum respondendum, et per consequens ad totam quaestionem. 900

75. Cum quaerebatur: numquid quaelibet intellectualis natura, certis circumscripta limitibus corporum extrinsecis passionibus sit subiecta, apparet per primum articulum quod eis competit esse in loco; per secundum eis competit posse moveri localiter; per tertium apparet quod licet proprie | non dicantur esse in tempore, tamen bene possunt esse. 905

C 200ra

<Ad argumenta principalia>

76. Ad argumenta igitur facta in principio quaestionis. Ad primum cum probatur quod natura intellectualis non est in loco pro eo quod nec est in loco naturaliter vel violenter, ergo; hic dico quod esse naturaliter in loco potest intelligi dupliciter: uno modo per inclinationem suae formae; alio modo per non-repugnantiam sui sine violentia qualicumque. Primo modo angelus non dicitur esse in loco, sed secundo modo sic. Sed ex hoc non sequitur 'non est primo modo in loco, ergo non est in loco'. Posset etiam dici quod illa divisio est insufficientis quod omne quod est in loco, est in loco naturaliter vel violenter. Posset etiam dici quod illa propositio veritatem haberet de his quae sunt in loco circumscriptive; quare propositum. 910 915 920

77. Ad secundum cum dicebatur quod solum quantum potest moveri, istud negatur. Ad probationem quia omne quod movetur

918 in loco!] *sup. lin. a. m. C*

910 Ad primum] PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 2, a. 1, n. 1.
secundum] *ibid.* n. 2.

921 Ad

partim est in termino a quo et partim in termino ad quem, ad istud dictum est in secundo articulo quod si li partim opponitur a li totaliter, 925 verum est, aliter non.

78. Ad tertium cum dicitur quod angelus sive natura intellectualis non est in tempore, apparet qualiter potest dici in tempore et qualiter non. Et sic per consequens ista quaestio terminatur. Gratias Deo.

929 Deo] quaestio nova *add. C*

924 secundo articulo] PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 2, a. 2, n. 48.

926 Ad

tertium] PETRI DE CANDIA, *Lectura in II Sent.*, q. 2, a. 1, n. 3.